

heatum coenobium, in quo requiescit eadem Flavia A in pace, et Sirudis ejus illia, virgo sacratissima, ejusque loci abbatissa.

Sanctus Benedictus Anianae abbas, in Concordia regularium, passim citat hanc regulam a Donato collectam.

SANCTI DONATI VESONTIONENSIS EPISCOPI REGULA AD VIRGINES.

PROLOGUS.

Sanctis et a me plurimum venerandis Christi virginibus Gauthstrude, omniue sue congregationi in coenobio a famula Dei Flavia constituto, Donatus, omnium extremus famulorum famularumque Dei servulus, salutem.

Quanquam vos juxta normam regule, vasa Christi pretiosissima, egregie noverim quotidie vitam decere, atnam qualiter magis excellere beatitudinem vultis semper intentione perquirere. Quam ob causam saepius mibi injungitis ut, explorata sancti Cesarii Arelatensis episcopi regula, quæ specialius Christi virginibus dedicata est, una cum beatissimum Benedicti quoque et Columbani abbatum, ut puta quibusdam, ut ita dixerim, collectis in unum fasculis ad instar Eucheridion excerpere vobis, vel macervare, deberem, et quæ specialius feminino sexu custodienda competenter promulgarem, dicentes quod regule prædicatorum Patrum vobis minime convenient, cum easdem viris potius, et nequaquam feminis, edidissent. Et licet sanctus Cesarius proprius Christi, ut estis, virginibus regulam dedicasset, vobis tamen ob inmutationem loci in nonnullis conditionibus minime convenienter. Ad hæc ego implenda diu multaque renis sum voluntati vestra, non ut pervicaciter durus, sed mea conscius impossibilitate retentus, dum multorum in hac re minus necessitate rei atque opportunitatem loci intelligentium iudicium portimesco, ne me temere reprehendant cur de tantorum Patrum institutis audeam quidpiam excerpere, vel mutare. At contra devotionem compellor, dum inhianter salutem vestrarum cupio animarum. Sed taciturnitatem meam, imo tacendi perseverantiam, sedulæ tandem vestræ rupere preces; quibus quantum parvitas meæ ignavia valet, parere omini ambitione festino, sed timeo ne non tam efficaciter quam libenter. Et rursus in aincipiti constringor, dum me imparem ad indaganda præfatorum Patrum monita fore censeo, et quotidiano strepitu secularium inquietor. Germano tamen affectu, quia caritas omnia superat, in quantum pro assidua corporali insinuitate divina pietas possilitatem dedit, et sensus obtusi caligo permisit, quod bonis vestris desideriis

placuit, cunctoque sancto vel vestro collegio intra septa istius monasterii adunata suggestio flagitavit, ea que vobis expedient, et loci opportunitas, vel corporis possibilis præstal, et a norma recti dogmati non discordant, elegi pauca e plurimis, quemadmodum regulariter rectum Christi trahitem, tam voc, quam cæteræ vobis succedentes, Christo opitulante, tenere valcat. Hæc vero schedula, quæ vobis flagitantibus breviter succincte collecta est, omnes conditiones monasterii, causasque regulæ singulatim determinat, et dispensat; et ita per titulos luctucentius deflorata est, ut quilibet sit necessitas requirendi prius in capitulis cernatur, et facile juxta ea designata in capitulo suo reperiatur. Quæ capitula villetatis mee apologeticam subsequuntur. Quæ de re vos sanctas animas, mentesque Deo deditas, coram omnipotenti Deo spirituali affectu obsecrare compellor, ut hæc eadem vestræ petitioni statuta, absque ulla duntaxat refragatione, et indesinenter studio, menteque sagaci, tempore perpetuo conservare studieatis, et juniores, vel etiam negligentes, juxta tenorem ipsius regule coerceatis, et eam saepius coram omni congregatione legatis, ut nulla se de ignorantia excusare possit. Juniores corrigite, anus obsecrate, præpositæ vestre in omnibus obedite; negligentes vestras indesinenter eis aperite, altera alterius onera portate, invicem vos omnes puro et casto amore diligite, ut veniente sponso vestro, Domino Jesu Christo, plenis oleo ac relucentibus lampadibus occuratis, tripudiantesque dicatis singulæ: *Inveni quem quæsivit anima mea (Cant. iii).* Hoc ergo ego omnium ultimus specialius almitati vestræ humili et subnixa prece deposco, ut pro me, qui petitioni vestræ obtemperans hæc per cola vel commata temperavi, tam in diurnis quam in nocturnis officiis, dum in hoc luteo corpusculo dego, creberrimas fundatis preces, et postquam Domino jubente migravero, sacras per me hostias offerri Domino faciatis, quatenus cum vobis in choro sacrarum ac sapientium virginum, virginitatis palma beatitudineque tribuetur; saltem mihi cunctis onerato peccatis delictorum venia tribuatur.

INCIPIIT REGULA.

CAPUT PRIMUM.

Qualis debeat esse abbatissa.

Mater monasterii, quæ præesse digna fuerit congregationi, cogitet semper quale onus suscepit, et cui est redditura rationem villicationis sue, sciatque

sibi oportere prædæsse magis quam præcessere. Oportet ergo eam esse instructam lege divina, ut sciat unde proferat nova et vetera; castam, sobriam, misericordem; et saepius superexaltet misericordiam iudicio, ut idem ipsa consequatur. Odio habeat vitia

diligat sorores. In ipsa autem correctione prudenter A agat, et ne quid nimis; ne dum cupit eradere æruginem, frangat vas, suamque fragilitatem semper suspecta sit, memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus, non dicimus ut permittat nutritri vitia, sed prudenter et cum charitate ea amputet, ut viderit cuique expedire, sicut jam diximus, et studeat plus amari quam timeri. Non sit turbulentia et anxia, non sit nimia et obstinata; non sit zelotypa, et nimis suspicioса, quia nunquam requiescat. In ipsis imperiis suis sit provida et considerata; et sive secundum Deum, sive secundum sæculum sit, opera quæ injungit discernat et temperet. Omnia vero quæ docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda, ne aliis prædicens ipsa reproba inveniatur, ne quando illi dicat Deus pe. - B canti: *Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, projecisti sermones meos post te* (*Psal. XLIX*). Non ab ea persona discernatur in monasterio; non una plus ametur quam altera, nisi quam in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non præponatur ingenua ex servitio convertenti, nisi alia rationabilis causa existat. Quia juxta Apostoli dictum, *sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus* (*I Cor. XI*), et sub uno Domino æqualem servitutis iniitiam bajulamus, et *non est apud Deum personarum acceptio* (*Rom. XI*). Sic autem omnia secundum Deum temperet ac discernat, qualiter in die judicij de credito talento mercedem accipiat; et ut præsentem Regulam in omnibus conservet, ut dum bene ministraverit, audiat a Domino quod servus bonus audire meruit: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth. XXV*).

CAPUT II.

De adhibendis ad consilium sororibus.

Quoties aliqua præcipua agenda sunt in monasterio, convocet abbatissa omnem congregationem, et dicat ipsa unde agitur; et audiens consilium sororum, tractet apud se, et quod utilius judicaverit faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus, quia sepe juniori Dominus revelat quod melius est. Sic autem dent sorores consilium cum omni humilitatis subjectione, et non præsumant procaciter defendere quod eis visum fuerit; sed magis in abbatisse pendeat arbitrio, ut quod salubrius esse judicaverit, ei cunctæ obdiant. In omnibus igitur omnes magistrorum sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur a quaquam. Nulla in monasterio proprii sequatur cordis voluntatem. Non præsumat quæquam cum abbatissa sua proterve contendere. Quod si præsumperit, regulari disciplinæ subjaceat, id est, in cella retrudatur, donec pœnitendo humilietur. Ipsa tamen abbatissa cum timore Dei et observatione regulæ omnia faciat, sciens se procul dubio de omnibus iudicis suis æquissimo judici Deo rationem reddituram. Si qua vero minora sunt agenda in monasterio utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio, sicut scriptum est: *Omnia fac cum consilio, et post factum non paenitebis.*

CAPUT III.

Quæ sunt instrumenta honorum operum.

In primis Dominum Deum tuum dilige ex toto corde, tota anima, tota virtute, deinde proximum tanquam te ipsum. Deinde non occidere, non adulterare, non facere furtum, non concupiscere, non falsum testimonium dicere, honorare omnes homines; quod sibi quisque facere non vult, alii non faciat; abnegare semet ipsum sibi, ut sequatur Christum; corpus castigare, delicias non amplecti, jejunium amare, pauperes recreare, nudos vestire, infirmos visitare, mortuum sepelire; in tribulatione subvenire, dolentem consolari, a sæculi actibus se facere alienum, nibil amori Christi præponere; iram non perficere, iracundia tempus non reservare, dolum in corde non tenere, pacem falsam non dare, charitatem non derelinquere; non jurare, ne forte perjurare; veritatem ex corde et ore proferre, malum pro malo non reddere, injuriam non facere, sed et factas patienter sufferre; inimicos diligere; maledicentes sibi non remaledicere, sed magis benedicere, persecutionem pro justitia sustinere. Non esse superbum, non violentum, non multum edacem, non somnolentum, non pigrum, non murmurosum, non detractorem; spei suam Deo commitat; bonum aliquid in se cum viderit, Deo applicet, non sibi, malum vero semper a se factum sciat, et sibi deputet; diem judicij timere, gehennam expavescere, vitam æternam omni concupiscentia spirituali desi'erare, mortem quotidie ante oculos suspectam habere, actus vitæ sue omni hora custodire, in omni loco Deum se respicere pro certo scire; cogitationes malas cordi suo advenientes mox ad Christum allidere, et seniori spirituali patefacere; os suum a malo, vel pravo eloquio custodire, multum loqui non amare; verba vana aut risui apta non loqui, risum inultum aut excussum non amare; lectio sanctas libenter audire, orationi frequentior incumbere, mala sua præterita cum lacrymis vel genitu quotidie in oratione Deo confiteri, de ipsis malis de cætero emendare, desideria carnis non perficere, voluntatem propriam odisse; præceptis abbatisse in omnibus obedire, etiamsi ipsa aliter, quod absit, agat, memor illius dominici præcepti: *Quæ dicunt, facite; quæ autem faciunt, facere nolite* (*Matth. XXIII*); non velle dici sanctum antequam sit, sed prius esse quod verius dicatur, præcepta Dei factis quotidie adimplere, castitatem amare, nullum odire, zelum et invidiam non habere, contentionem non amare, elationem fugere, et seniores venerari, juniorum diligere in Christi amore, pro inimicis orare, cum discordante ante solis occasum in pacem redire, et de Dei misericordia nunquam desperare. Ecce haec sunt instrumenta artis spiritualis, quæ cum fuerint a nobis die noctuque incessanter adimpleta et in die judicij reconsignata, illa merces nobis a Domino recompensabitur, quam ipse promisit, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit his qui diligunt eum (*I Cor. XI*). Officia vero ubi haec omnia diligenter opcremus,

claustra sunt monasterii, et stabilitas in congrega-
tione.

CAPUT IV.

Quæ esse debet abbatissa.

Quanta benevolentia diligatis matrem, quæ om-
nium vestrum curam gerit, et præposita sine mur-
muratione obediatur, ne in illis charitas contriste-
tur. Ipes vero vobis quæ præsunt cum charitate et
atra pietate discretionem et regulam studeant custo-
dire. Corripiant inquietas, pusillanimes consolentur,
sustineant infirmas, semper cogitantes Deo se pro
vobis reddituras rationem. Unde et vos magis sancte
obedientio, non vestrum, sed etiam ipsarum misere-
cordia: quæ inter vos quantum in ordinatione su-
periores videntur, tantum in periculo majori versan-
tur. Pro qua re non solum matri, sed etiam præ-
positæ, primicerie, vel formarice, cum reverentia
humiliter obedit.

CAPUT V.

De præposita monasterii.

Præposita monasterii eligatur a matre spirituali
de congregatione cum consilio seniorum suarum,
sæcia, sapiens, timens Deum, humilitatemque super-
omnia habens, et in religionis amore devota, et re-
gule observatione sit cognita. Quæ præposita ea
quæcumque reverentia quæ etiam a matre spirituali in-
juncta fuerint, nihil contra ipsius voluntatem aut
ordinationem faciat, quia quantum præclata est cœ-
teris sororibus, tanto magis eam oportet sollicite ob-
servare in omnibus præceptis regulæ. Quæ præposita,
si in aliquo reperta fuerit vitio, aut elatione fuerit
decepta superbie, aut contemptrix sanctæ regulæ
comprobata, admoneatur verbis usque ter: si non
emendaverit, adhibeat ei correctio disciplinae re-
gularis; quæ si neque sic correxit, tunc dejicitur
de ordine præposituræ, et alia quæ digna est, in loco
ejus subrogetur. Quod si et post haec in congrega-
tione quieta et obediens non fuerit, etiam de mona-
sterio expellatur: aut in cella ob poenitentiam con-
dignam retrudatur.

CAPUT VI.

Ut quæ ad conversionem veneris non statim recipiatur.

Huc igitur in primis vestro sancto coenobio con-
servanda est norma, ut quæcumque Deo inspirante
converti voluerit, non ei liceat statim habitum reli-
gionis assumere, nisi antea in multis experimentis D
fuerit voluntas illius approbata, sicut ait Apostolus:
Probate spiritus, si ex Deo sunt (*I Joann. iv*); et alibi:
Omnia probate; quod bonum est tenete (*I Thess. v*). Ergo si perseveraverit pulsans, et illatas sibi injurias
et difficultates visa fuerit patienter portare, et per-
sistere petitioni suæ, agnuuat ei ingressus; et sit in
cello ubi meditetur, et manducet, et dormiat. Et so-
nus ei talis deputetur, quæ ei regulam scipius legat,
et carpeat et sollicita sit, si revera Deum querit, si prompta est ad opus Dei, ad obedientiam,
et approbatio sustinenda. Prædicentur ei omnia dura
et aspera, per quæ itur ad Deum; et si promiserit
de stabilitate sua perseverantium, tunc demum post
unum circulum in coenobium ingrediatur, et obedien-

A tia ac stabilitate promissa in congregatione societur.
Et si potest fieri, aut nusquam, aut difficile in mo-
nasterio infantula parvula, nisi ab annis sex aut se-
ptem, quæ jani et litteras discere, et obedientiam
obtemperare possit, suscipiatur.

CAPUT VII.

*De his quæ, relictis maritis, ad monasterium venient,
qualiter recipiuntur.*

Quæ autem vidux, aut maritis relictis, aut muta-
tis vestibus, ad monasterium veniunt, non exceptiantur,
nisi antea de facultati sua cui voluerint chartas, aut
donationes, aut venditiones faciant, ita ut nihil suæ
potestati, quod peculiariter aut ordinari aut possi-
dere videantur, reservent, propter illud Domini præ-
ceptum: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ
habes* (*Matth. xix*); et: *Si quis non reliquerit omnia,
et secutus me fuerit, non potest meus esse discipulus* (*Luc. xiv*). Ille vero quæ adhuc vivis parentibus
substantiam suam in potestate habere non possunt,
aut adhuc minoris ætatis sunt, chartas tunc facere
compellantur, quando res parentum in potestate ha-
bere potuerint, aut ad legitimam ætatem pervenerint.
Ideo hoc sanctis animabus vestris præcipimus, ti-
mientes exemplum Ananice et Saphire, qui cum totum
se dixissent apostolis obtulisse, partem obtulerunt,
partem sibi infideliter reservaverunt (*Act. v*), quod,
scilicet, nec decet, nec licet, nec expedit. Ancillam
propriam nulli, nec abbatisse, licet in suo servitio
habere: sed si opus habuerit, abbatissa jubente, da
junioribus in solatio suo accipiat.

CAPUT VIII.

Ut nulli licet rem propriam possidere.

Hoc præcipue vitium radicus ampetandum est de-
monasterio, ut nulla presumat aliquid proprium
habere, nec quidquam dare aut accipere, vel tenere,
sino jussione matris, nullam omnino rem, neque
tabulas, neque graphium, sed nihil omnino, quippe
quibus nec corpora sua, nec voluntates licet ha-
bere in propria voluntate, omnia vero necessaria
a matre monasterii sperare. Nec quidquam li-
ceat habere, quod ipsa non dederit, aut permiserit.
Omniaque omnibus sint communia, ut scriptum est:
Et erant illis omnia communia (*Act. iv*). Nec quæcumque
sum aliiquid esse dicat, aut vindicare presumat.
Quod si quæ hoc nequissimum vitio reprehensa fuerit
delectari, tribus suppunctionibus puniteat.

CAPUT IX.

Ut nemo peculiare opus sine jussione faciat.

Nemo sane cuiuslibet operis vel artificii pro suo
libito quidquam sine jussione eligat faciendum, sed
quod faciunt in commune faciant, tam sancto studio
et tam servente alacritate quasi sibi ipsis fecerint; et
quod faciunt matri presentent, et illa cui opus fuerit
dispenseret. Quæ autem contumax extiterit, hoc quod
fecit privetur, et centum percussionibus puniteat.
Quæ aliiquid habent in sæculo, quando ingrediun-
tur monasterium, humiliiter illud offerant matri,
communibus usibus profuturum. Quæ autem non ha-

erunt, non ea querant in monasterio, quae nec se- A s habere potuerunt.

CAPUT X.

Ut nulla despiciat sororem suam.

Illæ vero quæ aliquid habere videbantur in sæculo, non fastidiant neque despiciant sorores suas, quæ ad illam sanctam societatem ex paupertate venerunt; nec de suis divitiis superbiant, quod eas monasterio obtulerunt, quod eis in sæculo fruerentur. Quid prodest dissipare, et dando pauperibus pauperem fieri, si misera anima diabolica infletur superbia? Omnes ergo unanimiter et concorditer vivite, et honorate in vobis invicem Deum, cuius templum esse merulisti. Quæ autem in hoc jactantiae crimine quod diximus inventa fuerit, suppositionem cum silentio faciat.

CAPUT XI.

Ut nulli licet semotam habere mansionem.

Nulli licet semotam eligere mansionem, nec habebit cubiculum, armariolum, aut aliquid bujusmodi, quod peculiarius cum clavi claudi possit, sed omnes, divisus lectulis, in una maneat domo. Quæ vero aliter agere aut habere presumpserit, suppositionem sustineat. Quæ autem senes sunt, et infirmæ, ita illis convenit obtemperare, et ordinare, ut non singulæ singulas cellas habeant, sed in una recipiantur omnes, ubi et maneant, et studium habeant. Nunquam ibi, sicut et in reliqua congregatione, altiore voce loquantur, ut extra modum a foris audentur: quod si fecerint, suppositionem silentii, aut quinquaginta percussionses accipiant.

CAPUT XII.

Qualiter senes aut infirmæ gubernandas sint.

Illud ante omnia sancta mater, et venerabilis quæcumque fuerit præposita, etiam cuicunque cura committenda est infirmarum, primiceriam etiam, vel formariam admoneo, et contestor, ut vigilantissime consideretis, et si sunt aliquæ de sororibus quæ pro eo quod aut diligentius nutritæ sunt, aut defectiones forsitan stomachi frequentius patiuntur, et sicut reliquæ abstinere non possunt, aut certe cum grandi labore jejunant, si ille propter verecundiam petere non presumunt, vos eis jubeatis a cellariis dari, et ipsis ut accipiant ordinetis. Et certissime confidant, quod quidquid dispensante aut jubente seniore, qualibet hora percepient, in illa repausatione Christum accipiant. Et sicut jam superius diximus, infirmarum cura ante omnia et super omnia adhibenda est, ut sicut revera Christo, ita eis serviatur, quia ipse dixit: *Infirmus fui, et visitasti me;* et: *Quod fecisti uni de his minimis fratribus meis, mihi fecisti* (Matth. xxv). Sed ipsæ infirmæ sorores considerent in timore Dei sibi serviri, et non superfluitate sua contristent sorores suas servientes sibi: quæ tamen patienter portandæ sunt, quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit matri, ne aliqua negligentia patientur. Quibus infirmis sit cella per se deputata; et quæ eis obsequium impendat, timens Deum ac sollicita sit. Balnearium usus infirmis quoties expedit offeratur, sanis autem, et maxime

A juvenibus, tardius concedatur. Carnes vero a nulla unquam in cibo manducentur: si forte aliqua in desperata infirmitate fuerit, jubente et providente abbatissa accipiat. Cum vero vires pristinas reparaverit, ad feliciorum redeat abstinentie consuetudinem. Et si hoc necessitas infirmarum exegerit, et matri monasterii justum visum fuerit, cellarium et coquinam suam infirmæ in commune habeant.

CAPUT XIII.

Qualiter ad officium diuinum curratur

Ad horam divini officii, mox ut auditum fuerit signum, relictis omnibus quilibet fuerint in manus, summa cum festinatione curratur; cum gravitate tamen, ut non scurrilitas inveniat somitem. Nihil tamen operi Dei præponatur. Qua vero nocturnis vigiliis ad gloriam primi non occurrit psalmi, non stet in ordine suo in choro, sed ultima omnium stet, aut in loco quem talibus negligenteribus seorsum constituerit senior, ut videatur ab omnibus, usque dum, completo opere Dei, publica satisfactio pœnitentia. Ea vero, quam superius diximus, horis diurnis observatio conservetur.

CAPUT XIV.

De his quæ ad opus Dei vel ad mensam tarde occurrerint.

Quæ signo tacto tardius ad opus Dei vel ad opera venerit, increpationi, ut dignum est, subjacebit: quæ si secundo aut tertio admonita emendare noluerit, regulari subjaceat disciplina. Similiter quæ ad mensam ad primum capitulum orationis non fuerit, et occupata in aliquo per jussionem non fuerit, non permittatur ad mensam communis participationis sedere: sed sequestrata a consortio omnium reficiatur sola, sublata ei portione sua de vino. Eadem vero patiatur, quæ non fuerit præsens ad illum versum qui post cibum dicitur.

CAPUT XV.

De significanda hora operis Dei.

Nuntianda hora operis Dei die noctuque sit cura, abbatissæ; aut ipsa nuntiare debet, aut alicui sollicitate sorori injungat hanc curam, ut omnia horis competentibus compleantur. Psalms vel antiphonas post abbatissam ordine suo quibus jussum fuerit imponant; cantare autem et legere non præsumat, nisi quæ potest ipsum officium implere, ut zelosum audientes: quod cum humilitate, et gravitate, et timore faciat, cui jusserit abbatissa.

CAPUT XVI.

De oratorio monasterii.

Oratorium hoc sit quod dicitur, nec ibi quidquid aliud geratur aut condatur, exceptio opere Dei. Omnes cum summo silentio exeant; et agatur reverentia Dei, ut soror quæ forte sibi peculiariter vulnus non præpediat alterius improbilat. Sed si altera vult sibi forte secretius orare, simpliciter intret et oret, non in clamosa voce, sed in laetitia et intentione cordis. Ergo quæ simile opus e facit, non permittatur expleto opere Dei remane sicut dictum est, ne alia impedimentum patiatur.

CAPUT XVII.

De disci lina psallendi in oratorio.

Ubique credimus divinam esse presentiam, et oculos Domini contemplantes bonos et malos; maxime tamen hoc sine aliqua dubitatione credimus, cum ad eum divinum assistimus. Ideo semper memoris simus quod ait Propheta: *Servite Domino in timore* (Psal. ii); et iterum: *Psallite supericter* (Psal. xlvi); Et: *In conspectu angelorum psallam tibi* (Psal. cxxxvii). Ergo consideremus qualiter oporteat in conspectu divinitatis et angelorum ejus esse, et sic stenus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostrae. Duci in oratorio psallitur, fabulare omnino non licet. Cum vero psalmis et hymnis vacatis Deo, id versetur in corde quod preferatur in voce, et que subriserit in cursu orationum, sex percussionibus; si in sonum eruperit risus, suppressionem.

CAPUT XVIII.

De reverentia orationis.

Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non presumimus nisi cum humilitate et reverentia, quanto magis Domino Deo universorum cum omni humilitate et puritatis devotione supplicandum est? Et non in multiloquio, sed in puritate cordis et compunctione lacrymarum nos exaudiri credamus. Ideo brevis debet esse et pura oratio, nisi forte ex affectu inspirationis divinae gratiae pretendatur. In conventu tamen omnino brevietur oratio; et factio sig.o a priore omnes pariter surgant.

CAPUT XIX.

Qualiter silentio studere debeant sorores.

Omnis tempore omniisque loco silentio studere debet ancille Christi, maxime tamen nocturnis horis. Ita ideo excusates a completorioris nulla sit licentia deinceps loqui cuiquam aliquid, usque mane post seudam celebratam in conventu; quod in locis veniam petentes, ac singulare confessionem dantes pro cogitationibus carnalibus atque turpibus, vel nocturnis visionibus, demum pariter orantes dicant: *Fiat, Domine, misericordia tua super nos, quemadmodum speravimus in te* (Psal. xxxii). Sic quoque vicissim dicant ad seniorem: *Da commensum, vestimentum mutare, et quod opus fuerit fieri.*

CAPUT XX.

Quando videntur lectioni.

A secunda hora usque ad tertiam, si aliqua necessitas ut operentur non fuerit, videntur lectioni; reliquo vero spatio diei faciant opera sua, et non se fabulis occupent, propter illud Apostoli: *Cum silentio operantes* (I Thess. iii); et illud: *In multiloquio non effugias peccatum* (Propr. x). Et ideo hoc vobis omnino loquendum est, quod ad edificationem vel militatem animas pertinet; cum autem necessitas operis exegerit, tunc loquantur. Reliquis vero in operantibus una de senioribus legal: do reliquo meditatio verbi Dei de corde non cesset. Si autem, ut diximus, aliqua compellit necessitas, ut infra hunc terminum operari debeat, in arbitrio sit uatri, qualiter absque murmure fiat. Omnia que-

A cunque opera facilis, quando lectio non legitur, de divinis Scripturis semper aliiquid ruminante. Nemo cum murmuratione aliiquid faciat, ne simili murmuratori judicio pereat, secundum illud Apostoli: *Omnia facite sine murmurationibus* (Philipp. ii). Humiles semper invicem sitis, non solum senioribus, sed et coequalibus et junioribus, et Deus superbis resistat, ne inflatae per viam angustam transire non possint. Quidquid vobis a senioribus fuerit imperatum, sic accipite tanquam si de celo sit ore Dei prolatum. Nihil reprehendas, nihil despicias, in nullo penitus non murmurare presumas, quis in monasterio servire venisti, non imperare, obedire potius, quam jubere. Totum sanctum, totum justum, totum utile judica, quidquid aut tibi, aut aliis videbis imperari.

CAPUT XXI.

Si omnes aequaliter debent necessaria accipere.

Scriptum est: *Dividebatur singulis prout cuique opus erat* (Act. iv); ubi non dicimus ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed infirmarum consideratio, ut quae minus indiget, agat Deo gratias et non contristetur; quae vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, non extollatur pro misericordia, et ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat; quod si deprehensa quae fuerit, districtiori disciplinae subdatur.

CAPUT XXII.

Qualis debet esse ancilla Dei dum castigatur.

Quae pro qualibet culpa admonetur, castigatur, corripitur, arguenti responderet non presumat; quod si fecerit, regulari subjaceat disciplinae. Quae aliiquid ex his quae jubentur implere notuerit, a communione orationis, vel a mensa, secundum qualitatem culpae, sequestrabitur.

CAPUT XXIII.

Qualiter ad confessionem omnibus diebus veniant.

Inter ceteras regulas observantias hoc magis super omnia tam juniores quam etiam seniores invenimus sorores, ut assidue et indesinenter studio tam de cogitatu, quam etiam de verbo inutili, vel opere, seu aliqua commotione animi, confessio omnibus diebus, omnibus horis, omnibusque momentis semper donetur; et matri spirituali nihil occultetur, quia statutum est hoc a sanctis Patribus, ut detur confessio ante mensam, sive ante lectulorum introitum, aut quanloquinque fuerit facile, quia confessio poenitentiae de morte liberat. Ergo nec ipsa parva a confessione sunt negligenda cogitata, quia scriptum est: *Qui parva negligit, pavlatim defuit* (Eccl. xii).

CAPUT XXIV.

De his quae ad lectulum suum aliquid occultare presumperint.

Quae soror ad lectulum suum, quae al manducandum, vel ad bibendum pertinent, presumperit occultare, publice coram omnibus arguitur, et tunc demum palam cunctis presentibus objurgata suppeditacionem sustinere cogatur.

CAPUT XXV.

De his quæ non custodierint benedictionem ad mensam, et cætera similia.

Si comedenter vel biberit non petens benedictionem, et non respondens Amen., sex percussionibus ; et quæ non signaverit cochlear quo lambit, sex ; et quæ locuta fuerit comedens, non in necessitate alterius sororis, sex ; vel pertuderit cultello mensam, sex ; et si dixerit suum proprium aliquid, sex percussionibus emendet.

CAPUT XXVI.

De his quæ in coquina aliquid effuderint.

Quacunque de sororibus cui sollicitudo coquinandi vel ministrandi commissa est, quantum quid effuderit, oratione in ecclesia post expletum cursum, ita ut sorores pro ea orient, emendare statuitur. Similiter pœnitentia, quæ humiliationem in synaxi, id est, in cursu oblita fuerit, hæc est humiliatio in ecclesia post finem uniuscujusque psalmi. Simili modo quæ perdiderit micas, oratione in ecclesia emendari cogatur. Ita tamen hæc parva pœnitentia judicetur, si parvum quid effuderit ; quod si ex negligentia, vel oblivione, vel transgressione securitatis, tam in liquidis quam in aridis amplius solito perdidit, longa venia in ecclesia, dum duodecim psalmos ad duodecimam canunt, prostrata nullum membrum movens pœnitentia, et quæ non custodierit ordinem ad sacrificium, sex percussionibus emendetur.

CAPUT XXVII.

De his quæ sine oratione egrediuntur domo.

Quæ egrediens domum ad orationem poscendam non se humiliaverit, et post acceptam non se signaverit et crucem non adierit, duodecim percussionibus ; et quæ orationem ante opus aut post oblita fuerit, duodecim percussionibus ; aut quæ regrediens domum, orationem petens non se curvaverit intra domum, duodecim percussionibus emendetur ; vel quæ facit cursus non necessarios, duodecim percussionibus emendetur.

CAPUT XXVIII.

Quæ profert fabulas otiosas ad aliam, et quæ se excusaverit, et dicit consilium contra consilium.

Fabulas otiosas proferens ad alteram, et statim semetipsam reprehendens, venia tantum sufficit ; si autem non se reprehenderit, tractantes eas suppositione silentii aut quinquaginta percussionibus pœnitentia, excusationem proferens cum simplicitate, quando in aliquo discutitur, et non dicit, statim, veniam petens, Mea culpa, pœnitet me ; consilium contra consilium cum simplicitate promens, quinquaginta percussionibus pœnitentia.

CAPUT XXIX.

De his quæ reprehendunt aliarum opera et cætera similia.

Reprehendens aliarum sororum opera aut detracitans, proferens correctionem contra correctionem, hoc est, castigans castigantem se, tribus suppositionibus pœnitentia. Quæ soror abscondit aliquod crimen in sorore sua usque dum corrigatur de alio vitio, vel de specie, et tunc prius profert illud adversum sororem

A suam, tribus suppositionibus ; vel quæ detrahit alicui sorori, aut audit detrahentem non corrigena eam, tribus suppositionibus : et quæ aliquid cum contradictione aut tristitia promit, simili modo tribus suppositionibus pœnitentia. Quæ aliquid reprehendens præpositæ non vult indicare, usquedum matri seniori indicet, similiter iœnitezat. Quæ soror vituperat alicui sorori obsequium dandum, murmurat et dicit, Non faciam, nisi dicat senior aut secunda, similiter tribus suppositionibus. Quæ consanguineam suam docet aliquam decentem artem, et aliud quodlibet a seniore fuerit impositum, dixerit, melius lectionem dicat, tribus suppositionibus pœnitentia.

CAPUT XXX.

De his quæ cum præposita sua superbe contendunt.

Quæ ad præpositam suam audet dicere : Nou tu judicabis causam meam, sed nostra senior, aut cæteræ sorores, quadraginta diebus pœnitentia, nisi ipsa humiliiter dicat : Pœnitet me quod dixi.

CAPUT XXXI.

De his quæ non postulant veniam correctæ, et cætera similia.

Quæ non postulat veniam correcta, suppositione ; quæ visitaverit alias in cellis earum sine interrogazione, simili modo pœnitentia ; aut in coquinam post nonam ierit, suppositione ; aut extra vallum, id est, extra septa monasterii sine interrogazione ierit, suppositione pœnitentia.

CAPUT XXXII.

Ut nulla alterius teneat manum, nec juvenculus se invicem appellant.

Prohibetur ne pro dilectione aliqua ulla alterius teneat manum, sive steterit, sive ambulaverit, sive sejerit. Quod si fecerit, duodecim percussionibus emendetur. Juvenculæ, quibus imponitur terminus, ut non se appellent invicem, si transgressæ fuerint, quadraginta percussionibus pœnitentia.

CAPUT XXXIII.
Ut sedentes ad mensam laceant.

Sedentes ad mensam laceant, et animo lectioni intendant. Cum autem lectio cessaverit, meditatio sancta de corde non cesseret. Si vero aliquid opus fuerit, quæ mensa præest sollicitudinem gerat, et quod est necessarium nutu magis quam voce petat. Neo sole vobis fauces sumant cibum, sed et aures audiunt Dei verbum. Nam quæ loqui præsumperit, vel viginti vel triginta percussionses accipiat. Pœnitentias vero minutas juxta mensam si fecerit præposita mensa imponat, amplius quam viginti quinque percussionses simul non ducatur.

CAPUT XXXIV.

Qualiter aut quibus temporibus genua flectantur.

Pœnitentes sorores, et indigentes pœnitentia psalmorum, hoc est, quibus necesse est ut psalmos adhuc pro visione nocturna decantent, quia pro illusione diabolica, ac pro modo visionis viginti sex psalmos in ordine, aliæ quindecim, aliæ duodecim indigentes pœnitentia psalmos decantare debent ; quamvis ergo in nocte dominica, et tempore Quinquagesima genuflectant. In commune autem omnes sorores

omnibus diebus et noctibus tempore orationum in fine omnium psalmorum genua ad orationem, si non infirmitas corporis offecerit, flectere: et quo moderamine debent, sub silentio dicentes: *Deus, in adjutorium meum intende; Domine, ad adjuvandum me festina.* Quem versiculum postquam in oratione tacite decantaverint, æqualiter a flexu orationis surgent, exceptis diebus Dominicis, et a prima die sancti Paschæ, usque ad Quinquagesimum diem, in quo moderate tempore psalmodice humiliantes, genua non flectent. Et quando ad communionem altaris accedunt, ter se humilient.

CAPUT XXXV.

Ut jurare omnino non liceat.

Juramentum, vel maledictum, velut venenum diaconi fugere et vitare contendat; quod si fecerit, duabus silentii suppositionibus, et centum percussionibus puniteat.

CAPUT XXXVI.

De Quadragesime observatione.

Licit omni tempore vita monachæ Quadragesimæ debet observationem habere, tamen quia paucorum est ista virtus, ideo suademus istis diebus Quadragesimæ omni puritate vitam suam custodiare; omnes pariter sordes et negligentias aliorum temporum his diebus sanctis diluere. Quod tunc digne sit, si ab omnibus vitiis temperamus, orationi cum fletibus, lectio et compunctioni cordis, aut abstinentie, operam damus. Ergo his diebus augeamus nobis aliquid solito penso servitutis nostræ orationes peculiares, ciborum et potus abstinentiam, ut unaquæque super mensuram sibi indictam aliquid propria voluntate cum gudio sancti Spiritus offerat Deo, id est, subtrahat corpori suo de cibo, de potu, de somno, de loquacitate, de scurrilitate; et cum spirituali desiderio gaudium sanctum Paschæ exspectet. Hoc ipsum tamen quod unaquæque offert, abbatissæ summa suggerat, et cura ejus faciat oratione et voluntate. Quia quid sine matris spiritualis permissione sit, præsumptioni deputabitur et vanæ glorie, non mercedi.

CAPUT XXXVII.

Quot sunt gradus humilitatis.

Primus humilitatis gradus est, obedientia sine mora. **Hec** convenit his quæ nihil sibi a Christo charius aliquid existimantes, propter servitium sanctum quod professa sunt, seu propter metum gehennæ, vel gloriam vitæ æternæ, mox ut aliqui imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperatur, moram pati nesciunt in faciendo, de quibus Dominus dicit: *Obeditus auris obediuit mihi* (Psal. xviii). Et idem dicit doctoribus: *Qui vos audit, me audit* (Math. x). Ergo tales relinquentes statim quæ sua sunt, et voluntatem propriam deserentes, mox ex occupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientes pede, jubentis vocem factis sequuntur, vel uno momento prædictæ senioris iussione etiam contraria sustinere debere. Dicit ex persona sufferentium: *Propter te mortificamur hodie, estimatae sumus ut ores occasionis* (Psal. xlvi).

A et secure de spe retributionis divinae, subsequuntur gaudentes et dicentes: *Sed haec omnia supererimus propter eum qui dilexit nos* (Rom. viii), et eadem alio loco Scriptura dicit: *Probasti nos, Deus, igne nos examinasti, sicut examinatur argentum; et induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro* (Psal. lxv). Et ut ostendat sub priore debere nos esse, subsequitur dicens: *Imposuisti homines super capita nostra.* Ideo angustum viam arripunt, unde Dominus dicit: *Angusta via est, quæ ducit ad vitam* (Math. vii). Ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in cœnobio degentes, seniorem sibi præcessere desiderant. Sine dubio haec tales illam Domini imitantur sententiam, quæ dicit: *B Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me* (Joan. v). Sed haec ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus, si quod jubetur non trepide, non tardie, aut cum murmuratione, vel cum responsione nolentis efficiatur, quia obedientia quæ majoribus præbetur, Deo exhibetur; ipse enim dixit: *Qui vos audit, me audit* (Math. x). Nam si talis non fuerit obedientia, non erit acceptabilis Deo, qui ait: *Et qui non accipit crucem suam, et sequitur me, non est me dignus* (Luc. xiv). Et ideo dicit de digno discipulo: *Ut ubi ego sum, ibi et minister meus tecum erit* (Joan. xii).

CAPUT XXXVIII.

Secundus humilitatis gradus est, propriam quæque non amare voluntatem, et desideria sua non debet implere; sed vocem illam Domini factis imitetur, dicentis: *C Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui me misit* (Joan. vi); item dicit Scriptura: *Voluntas habet paenam, et necessitas parit coronam.*

CAPUT XXXIX.

Tertius humilitatis gradus est, ut quæque pro Dei amore omni obedientia se subdat majori; imitans Dominum, de quo dicit Apostolus: *Factus obediens usque ad mortem* (Philipp. ii).

CAPUT XL.

Quartus humilitatis gradus est, si in ipsa obedientia duris et contrariis rebus, vel etiam quibuslibet irrogatis injuriis, tacita conscientia pœnitentiam amplectatur, ut sustinens non lassescat, vel discedat, dicente sancta Scriptura: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Math. x); et item: *Conformatur cor tuum, et sustine Dominum* (Psal. xxvi).

CAPUT XLI.

Quintus humilitatis gradus est, si omnes cogitationes malas cordi suo advenientes, vel mala a se absconde commissa per humiliem confessionem seniori sue non celaverit; hortans nos de hac re Scriptura dicit: *Revela Domino vitam tuam, et spera in eum* (Psal. xxxvi). Et iterum dicit: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus* (Psal. cv). Et item Propheca: *Delictum meum cognitum tibi feci, et injusticias meas non abscondi. Dixi, Pronuntiabo adversus me injusticias meas*

Dominus, et tu remisisti iniquitatem peccati mei (Psal. A Dominus jam in operarium suum mundam a vitiis et peccatis Spiritu sancto dignatus est demonstrare.

CAPUT XLII.

Sextus humilitatis gradus est, si omni utilitate vel extremitate contenta sit monacha, et ad omnia quae sibi injunguntur, velut operariam malam se judicet et indignam, dicens sibi cum Propheta: *Ad nihilum redacta sum, et neasici; ut iumentum facta sum apud te, et ego semper tecum (Psal. xcii.)*

CAPUT XLIII.

Septimus humilitatis gradus est, si omnibus se inferiorum et viliorum, non solum sua lingua pronuntiet, sed et intimo cordis credat affectu humilians se, et dicat cum Propheta: *Ego autem sum vermis, et non homo, opprobrium hominum, et abjectio plebis (Psal. xxi.) Exaltata sum, et humiliata, et confusa (Psal. lxxxvii); et item: Bonum mihi quia humiliasti me, ut discam mandata tua (Psal. cxviii).*

CAPUT XLIV.

Octavus humilitatis gradus est, si nihil agat monacha, nisi quod communis monasterii regula vel majorum cohortantur exempla.

CAPUT XLV.

Nonus humilitatis gradus est, ut linguam ad loquendum prohibeat monacha, et taciturnitatem habens usque ad interrogationem non loquatur, dicente Scriptura quia in multiloquio non effugietur peccatum (Prov. x); et quia vir linguosus non dirigetur super terram (Psal. cxxxix).

CAPUT XLVI.

Decimus humilitatis gradus est, si non sit facilis ac C prompta in risu, quia scriptum est: *Stultus in risu exaltat vocem suam (Ecli. xxi).*

CAPUT XLVII.

Undecimus humilitatis gradus est, si cum loquitur monacha, leniter et sine risu, humiliiter et cum gravitate, vel pauca verba et rationabilia loquatur, et non sit clamosa in voce, sicut scriptum est: *Se-piens verbi innotescit paucis.*

CAPUT XLVIII.

Duodecimus humilitatis gradus est, si non solum corde, sed etiam corpore monacha humilitatem vi-dentibus se semper indicet, id est, in opere, in oratorio, in monasterio, in horto, in via, vel ubicunque sedens, ambulans, vel stans inclinato sit semper capite, defixa in terra aspectibus, ream se omni hora de peccatis suis existimans, jam se tremendo judicio Dei repraesentari existimet, dicens sibi in corde semper illud, quod Publicanus ille evangelicus fixis in terram oculis dixit: *Domine, non sum dignus ego peccator levare oculos meos ad calum (Luc. xviii).* Et item cum Propheta: *Incurvatus et humiliatus sum usque quaque (Psal. cxviii).* Ergo his omnibus humiliatis gradibus ascensis monacha ad charitatem Dei perveniat illam, quae perfecta foras mittat timorem (I Joan. iv); per quam universa quae prius non sine formidine observabat absque ullo labore velut naturaliter ex consuetudine incipiet custodiare; non jam timore gebennat, sed amore Christi, et consuetudine ipsa bona, et dilectione virtutum, quam

CAPUT XLIX.

De taciturnitate.

Silentii regula diligenter custodienda decernitur, quia scriptum est: *Cultus autem justitia silentium et pax (Isai. xxxii); et ideo ne reatus de verbositate conqueriratur, exceptis utilitatibus ac necessariis, opus est ut taceatur. Quia, juxta Scripturam, in multiloquio non deerrit peccatum (Prov. x); et alibi ait: Posui ori meo custodiam; obmatui et humiliatus sum, et silui a bonis (Psal. xxxviii).* Illic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere, quanto magis a malis verbis propter peccatum debet cessare? Tacendum igitur est, et cum B cautela et ratione loquendum, ne aut detractiones, aut tumidæ contradictiones in loquacitatem vitiosam ac superfluam prorumpant. Ergo quamvis de bonis et sanctis ædificationum eloquiis, perfectis Christi sororibus propter taciturnitatis gravitatem rara loquendi concedatur licentia. Quia, ut superius diximus, in multiloquio non effugies peccatum (Prov. x); et alibi: *Mors et vita in manibus lingue (Psal. xiv).* Et si altiori voce præsumperit, duabus silentii suppressionibus, aut quinquaginta percussionibus possebat; et si iterare præsumperit, centum. Scurrilates vero, vel verba otiosa et risum moventis, scirna clausura in omnibus locis damnamus, et ad tale eloquium famulæ Christi aperire ne non permittamus.

CAPUT L.

De custodia oculorum.

Nulla in vobis concupiscentia oculorum cuiuscunquam viri diabolo instigante consurgat. Ne dicatis vos animos habere pudicos, si oculos impudicos habentis, quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius. Nec putare debet, qui in virum non simpliciter convertit aspectum, ab aliis se non videri cum haec facit. Videtur omnino a quibus videri se non arbitratur. Sed etsi lateat, aut a nomine hominum videatur, quid faciet de illo superiaspecto, cui latere omnino non potest? Timeat ergo displicere Deo, cogitet ne male placeat viro. Quando ergo simul statis, si aut provisor monasterii, aut aliquis cum eo virorum supervenerit, invicem vestram pudicitiani custodite. Deus enim, qui habitat in vobis, etiam isto vos modo custodit. Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed membris, quod vestrum decet propositum.

CAPUT LI.

Ut peccatum alterius non celetur.

Si quam vero liberius quam decet agere videritis, matri in notitiam ponite. Nec vos judicetis esse malevolas, quando hoc sancto animo indicatis; magis enim innocentes nou estis, et peccati ipsius participes vos facitis, si sororem vestram, quam castigando corrigerem potuistis, tacendo perire permittatis. Si enim vulnus haberet in corpore, aut esset a serpente percussa, et vellet hoc occultare, dum timet secari, nonne hoc crudeliter taceretur, et misericorditer proderetur? Quanto magis ergo consilia diaboli et

insidias illius manifestare debuistis, ne in deterius vultus peccati augeatur in corde, et concupiscentia malum diutius nutritur in pectore? Et hoc facite cum dilectione sororum et odio vitiorum.

CAPUT LII.

Ut inter se litigare, vel convicia dicere non debeant.

Et quamvis non solum cogitari, sed omnino nec credi debeat, quod sanctæ virgines duris sermonibus per convicia mordent se, tamen si forte, ut se habet humana fragilitas, in tantum nefas aliquæ de sororibus ausæ fuerint, diabolo instigante, proruunpero, ut aut furtum faciant, aut in se invicem manus munitant, justum est ut legitimam disciplinam accipiant, a quibus regulæ instituta violentur. Necesse est enim, ut in eis impleatur illud, quod de indisciplinatis filiis per Salomonem prædictum Spiritus sanctus: *Qui diligit filium suum, assiduat illi flagellum* (Eccl. xxx). Et iterum: *Tu virga eum caedis, animam illius de inferno liberabis* (Prov. xxiii). Disciplinam tamen ipsam in presentia congregationis accipiant, pro illo Apostoli: *Peccantes coram omnibus correpte* (I Tim. v). Lites nullas habeatis, secundum illud Apostoli: *Servum Domini non oportet litigare* (II Tim. ii). Si servum Domini litigare non convenit, quanto magis ancillam Dei non expedit? cujus quo verecundior est sexus, tanto animus debet esse modestior. Aut si fuerint, quam celerius fiantur, ne ira crescat in odium, et festuca converteretur in trabem, et efficiatur anima homicida. Sic enim legitur: *Qui odii fratrem suum, homicida est* (I Joan. iii). Et: *levantes sanctas manus sine ira et disciputatione* (I Tim. ii). Quaecumque convicia, vel maledictio, vel etiam crimen objecto lacererit sororem suam, meminerit culpam satisfactione purgare. Quod vitium si iterare præsumperit, distinctione severissima feriatur, usquequo per satisfactionem recipi mereatur. Juniores præcipue senioribus deferant. Si autem, ut fieri solet, stimulante diabolo, invicem se lacerint, invicem sibi veniam petere, et debita relaxare debebunt, propter orationes, quas utique quantum crebriores, tantum puriores habere debent. Quod si illa cui veniam petierit indulgere sorori suæ noluerit, a communione separatur, et timeat illud: *Quod si non dimiserit, non dimittetur ei* (Math. vi). Quæ autem nunquam vult petere veniam, aut ex animo non petit; aut cui petitur, si non admittat, sine causa in monasterio ea videtur. Attamen usquequo satisfaciat poenitendo, et sorori suæ relaxet, nunquam in congregazione societur. Proinde vobis a verbis dñioribus parcite: quæ si emissæ fuerint, non pigeat ex ipso ore proferre medicamentum, unde facta sunt vulnera. Quando autem vos, que præpositæ estis, necessitas disciplinæ pro inaliis moribus coercendis dicere verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse fortasse sentitis, non a vobis exigitur et veniam postuletis, ne apud eas quas oportet esse subjectas, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen veniam est ab

A omnium Deo, qui novit etiam, quam plus justæ corripitis, quanta benevolentia diligatis.

CAPUT LIII.

Ut nulla a parentibus suis sine iustione aliquid accipiat.

Nullatenus licet sorori a parentibus suis, neque a quoquam hominum, nec sibi invicem litteras, eulogias, vel qualibet munuscula, accipere aut dare sine precepto abbatisse. Quod si etiam a parentibus suis ei quidquani directum fuerit, non presumat suscipere illud nisi prius indicatum fuerit matri; quod si jusserit suscipi, in ipsis sit potestate, aut ei, si necesse est, aut cui illud jubeat dare. Quocunque autem, quod Deus non patiatur, in tantum progressa fuerit malum, ut occulte litteras ab aliquo, aut qualibet manu data aut munuscula accipiat, si hoc ultro confessa fuerit, indulgentiam mereatur, et oretnur pro ea. Si autem celans prodit, vel convincitur, secundum instituta monasterii regule gravius emendetur. Simili etiam distinctioni subjaceat, si vel ipsa cuicunque litteras, aut munuscula transmittere sacrilego ausa presumperit. Pro affectu tamen parentum aut cojusque notitia, si aliquas transmittere voluerit litteras aut eulogias panis, matri suggestat, et si ipsa permiserit, per posticiarias det, et ipsæ de nomine illius transmittant cui voluerit ipsæ; sine præposita, aut posticiaria, per se nulla presumat nec dare, nec accipere a quoquam; quod si presumperit, tribus suppositionibus puniteat.

CAPUT LIV.

C *Ut nulla cuiuslibet alterius filiam in baptismo excipiat.* Nulla cuiuslibet filiam in baptismo neque dñitatis neque pauperis presumat excipere. Neque ad enucleandum, neque ad docendum, nobilium vel pauperum filias recipiantur, nisi quæ in monasterio sub habita religionis, sicut et relique, perseverent.

CAPUT LV.

Qualiter provisores monasterii, vel reliqui viri, intra monasterium debeant introire.

D Ante omnia propter custodiendam famam vestram nullus virorū in secretam partem monasterii, aut in oratorium introeat, exceptio episcopo, provisore, et presbytero, et diacono, et uno vel duobus lectoribus, quos et ætas et vila commendat, qui aliquoties missas facere debeant. Cum vero aut tecta retractanda sunt, aut ostia, aut fenestrae sunt compонendæ, aut aliiquid bujuando reparandum, artifices tantum et servi ad operandum, si aliqua necessitas existenterit, cum provisore introeant; sed nec ipsi sine scientia aut permisso matris. Ipse vero provisor in interiori partem monasterii, nisi pro his utilitatibus quas superius diximus, nunquam introeat; et aut nunquam, aut difficile, sine abbatisa, aut alio honestissimo teste, ut sanctæ secretum suum, sicut decet et expedit, habeant.

CAPUT LVI.

Ut neque matronæ sæculares ingredi permittantur, vel puellæ.

Matronæ etiam, seu puellæ sæculares, sive virnobiles aliquæ ignobiles, in sæculari habitu constituti

qui vel ob visitationes parentum, vel orandi seu invisendi gratia, ad monasterium veniunt, intus alter introire non permittantur, nisi hi qui religiosi et Deum timentes esse videntur, et quos mater monasterii ob vitae meritum dignos iudicaverit. Cumque partes quas ipsa voluerit circumlierint, protinus aut in salutatorium, aut ad portam redeant; ubi deinceps, si abbatissa visum fuerit, illa, si voluerit, praesente vel reliquis, eulogias accipient, aut reliquum quod offerre decreverint. Haec vero quae ministrant et omnes non alibi nisi in refectorio, ubi decretum est, aliquid accipere presumant.

CAPUT LVII.

Qualiter abbatissa in salutatorium ad salutandum exeat, vel qualiter ancillæ Domini suos parentes debent salutare.

Observandum est etiam ne abbatissa ad salutandum in salutatorium sine digno honore suo, hoc est, sine duabus aut tribus sororibus senioribus procedat. Similiter et reliqua sorores ad salutandum parentes vel quoslibet religiosos, sine duabus aut tribus testibus, quas abbatissa iussicerit, non procedant. Nec sola cum solo loqui vel momento temporis permittatur, nec vestimenta eorum ad lavandum, vel tingendum, aut custodiendum, vel ad consuendum, accipient. Si quae tamen de alia civitate ad requirendam filiam suam, aut ad monasterium visitandum, venerit, si religiosa est, et abbatissa visum fuerit, debet ad convivium vocari, reliqua vero penitus nunquam. Quia sancte virgines et devote magis Christo vacantes pro universo populo orare debent, quam corporalia convivia preparare. Si quis vero germanam aut filiam suam, vel quanlibet parentem aut sibi cognatam videre voluerit, praesente praeposita, vel qualibet seniore, ei colloquium non negetur. Episcopi, abbates, vel reliqui religiosi, quos magna vita commendat, si petierint, debent causa orationis introire. Observandum est etiam ut janua monasterii opportunis horis salutantibus paleat.

CAPUT LVIII.

Ut convivium nulli præparetur.

Convivium etiam his personis, hoc est, episcopis, abbatis, monachis, clericis, secularibus viris, inulieribus in habitu secularium, nec abbatissæ parentibus, nec alicuius sanctimonialis, nunquam nec in monasterio, nec extra monasterium, præparetis. Nec episcopo hujus civitatis, nec provisori quidem ipsius monasterii convivium faciat, neque abbatissa, aut quilibet ulla ex sororibus convivium episcopi aut parentis, vel cuiuslibet personæ, nullo unquam tempore interius, sive exterius, monasterii adire presumat. Sed si aliquis tam de parentibus propinquis, vel quicunque eis voluerit impendere aliquid, quantum decreverit per portarias in monasterium transmittat, et ipse per se secundum sanctam consuetudinem sibi, ut expedit, præparent.

CAPUT LIX.

No abbatissa extra congregationem reficiat.

Abbatissa, nisi iniquitate aliqua aut infirmitate,

A vel occupatione compellente, extra congregationem suam penitus non reficiat.

CAPUT LX.

Quales ad posticum eligi debeant.

Ad portam monasterii ponatur soror senex et sapiens, quæ sciat accipere responsum aut reddere, cujus maturitas eam non sinat vagari. Quæ portaria cellam debet habere juxta portam, aut duas aut tres juniores in suo solatio, ut venientes semper præsente inveniant, a qua responsum accipient. Pro qua re omnes quæ posticum observaverint contestor coram Deo et angelis ejus, ut nihil de monasterio permittant dari, vel a foris in monasterium intus acquiescant excipi, extra conscientiam vel consilium abbatissæ. Tamen, ut assulet, abbatissa cum a salutatoribus occupata fuerit, posticariae præpositæ ostendant quocunque exhibitum fuerit. Quam rem si implere neglexerint, et illæ posticariae, et illæ quæ excipiunt, propter transgressionem sanctæ regulæ distinctionem monasterii gravissimam sustinebunt.

CAPUT LXI.

De cellaria monasterii qualiter esse debeat

Cellaria monasterii eligatur de congregatione sapientis, maturis moribus, sobria, non multum edax, non elata, non injuriosa, non tarda, non prodiga, sed timens Deum: quæ omni congregatiōnī sit ut mater; curam gerat de omnibus, sine iussione abbatissæ nihil faciat; quæ jubentur custodiāt, sorores non contristet. Si qua soror forte aliqua irrationalib[us] postulat, non spernendo eam contristet, sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. Animam suam custodiāt, memor semper illius Apostolici: *Quia qui bene ministrat, gradum sibi bonum acquirit* (*I Tim. iii*). Infirmarum, infantium cum omni sollicitudine curam gerat, sciens sine dubio quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditura est. Omnia vasa monasterii, cunctaque substantiae, ac si altaris vasa sacra conspiciat. Nihil ducat negligendum: neque avaritiae student, neque prodiga sit, vel extirpatrix substantiae monasterii; sed omnia mensurate faciat, et secundum iussionem abbatissæ. Humilitatem ante omnia habeat; et cui substantia non est quod tribuatur, sermo responsionis porrigitur bonus, uti scriptum est: *Sermo bonus super datum optimum*. Omnia que ei injunxit abbatissa, ipsa habeat sub cura sua; a quibus eam prohibuerit, non presumat. Sororibus constitutam annonam sine aliquo typho aut mora offerat, ut non scandalizentur, memor divini eloquii quid mereatur qui scandalizaverit unum de pusillis (*Malch. viii*). Si congregatio major fuerit, solertia ei dentur, a quibus adjuta et ipsa aequo animo implet officium sibi commissum. Horis competentibus ei dentur quæ danda sunt, et petantur quæ petenda sunt, ut nemo conturbetur neque contristetur in domo Dei.

CAPUT LXII.

De ferramentis, aut aliis rebus monasterii, vel vestibus.

Substantiae monasterii in ferramentis vel vestibus, seu quibuslibet rebus, provideat abbatissa sorores de quarum vita moribus secura sit, et eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque re-colligenda. Ex quibus abbatissa brevem teneat; et dum sibi in ipsa assignata sorores vicibus succedunt, sciat quid dat, aut quid recipit. Quae cellario, sive canave, sive vestibus, vel codicibus, aut poesio, vel lanipendio praeponuntur, super Evangelio claves accipiant et sine murmuratione serviant reliquis. Si que vero vestimenta, calcamenti, ustensilia, negligenter expendenda vel custodienda putaverit, tanquam inter-versor rerum monasterii severius corrigatur. Indumenta vero cum ipsa nova accipiunt, si vetera necessaria noua habuerint, abbatisse refundant, pauperibus aut incipientibus junioribus dispensanda.

CAPUT LXIII.

Ut ornamenta, vel varia opera in monasterio non fiant.

Moneo specialius, ut vestimenta lucida, vel cum purpura, vel bebrina nunquam in usu habeatis, nisi tantum laia et lactina. Plumaria ornamenta et ounne polychromi nunquam in monasterio fiant; nec ulla tintura, nisi nigra tantum, si necessitas fuerit, propter illud Apostoli: *Nemo militans Deo implicat se ne-gotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit (II Tim. ii).* Lectularia vero ipsa simplicia sint. Nam satis indecorum est, si in lecto religiosae stragula saecularia, aut tapetia picta resplendent. Argentum in usu vestro non habeatis, absque ministerio oratorii.

CAPUT LXIV.

Ut capita qua mensura ligentur.

Capita nunquam altiora ligentur, nisi quomodo in hoc loco mensuram de incausto fecimus.

CAPUT LXV.

Quomodo dormire debent.

Singulæ per singula lecta dormiant, lectisternia pro modo conversationis secundum dispensationem matris accipient. Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant; si autem multitudo non sinit, denæ aut vicines cum senioribus, quæ super eas sollicitæ sint, possent. Luminaria jugiter in eadem cella ardeant usque mane. Vestitæ dormiant et cinctæ cingellis, ut præparatæ sint ad opus divinum semper, et factio signo absque mora surgentes festinent invicem se prevenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia. Adolescentes sorores juxta se non habent lectos, sed permixtæ cum senioribus. Surgentes vero ad opus Dei invicem se moderate cohortentur, propter somnolentarum excusationes.

CAPUT LXVI.

De ordine congregacionis.

Ordines suos in monasterio ita conservent, ut conversionis tempus, ut vita meritum discernit; atque senior non conturbet gregem sibi commissum, neque libera utens potestate injuste disponat aliquid, sed regulet semper quia de omnibus iudicilis et operibus suis redditura est Deo rationem. Ergo secundum or-

A dince, quos constituerit, vel habuerit, ipsæ sorores sic accedant ad pacem, ad unionem, ad peccatum componendum, in choro standum; et in omnibus omaino locis ætas non discernatur in ordine, nec præjudicet, quia Sammel et Daniel pueri presbyteros judicaverunt. Ergo extra has, quas, ut diximus, altiori consilio mater prætulerit, vel degradaverit certis ex causis, reliquæ omnes ut convertuntur ita sint ut, verbi gratia, quæ secunda hora diei venerit in monasterium, juniores se noverit esse illa quæ prima hora venerit diei, cujusque ætatis aut dignitatis sit. Juvenile per omnia ab omnibus disciplina tenentur. Juniores igitur priores suas diligent. In ipsa appellatione nominatim nulli licet alias puro nomine appellare, sed priores juniores suas sorores B prominent, juniores priores suas nonnas vocent, quod intelligitur materna reverentia. Ubicunque autem sibi obviant sorores, junior a priore benedictionem petat, transeunte majore minor surgat, et det ei locum sedendi, nec presumat junior concedere, nisi ei præcipiat senior, ut fiat quid scriptum est: *Monere invicem prævenientes (Rom. xii).*

CAPUT LXVII.

De septimanariis coquinæ.

Sorores sibi invicem serviant. In omni ministerio corporali, tam in coquina, vel quidquid quotidianus exegerit usus, vicibus sibi, excepta matre, seu præposita, succedere debent. Nulla excusetur a coquinæ officio, nisi aut segritudine, aut in causa gravis utilitatis aliqua occupata fuerit, quia exinde major mercies conquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant, sed habeant omnes solatia, secundum modum congregationis, aut positionem loci. Egressura de coquina vaga ministerii munda et sana cellariæ consignet, quæ cellaria iterum intranti consignet, ut sciat quod dat, aut quod reclpit. Septimanarie autem ante unam horam refectionis accipient singulos biberes et panem, ut hora refectionis sine murmuratione et gravi labore serviant sororibus suis. In diebus autem solemnis usque ad missas sustineant.

CAPUT LXVIII.

Si sorori impossibilia injungantur.

Si sorori aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia. Et si omnino vi-rium suarum mensuram viderit pondus oneris exceedere, impossibilitatis causas ei quæ sibi præst patienter et opportune suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Unde si post suggestionem suam in sua sententia prioris imperium perduraverit, sciat junior ista sibi expedire, et ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.

CAPUT LXIX.

Qualis debet esse modus excommunicationis.

Secundum modum culpæ, et excommunicationis vel discipline debet extendi mensura. Qui culparum modus in abbatissæ pendeat iudicio. Si qua tamen soror in leviioribus colpis inveniatur, a mense participatione privetur. Private autem a mense consortio

Illa erit ratio, ut in oratorio psalmum aut apiphonam non imponat, neque lectionem recitet, usque ad satisfactionem : refectionem autem sibi post sororem refectionem sola accipiat, ut si, verbi gratia, sorores reliquint sexta hora, illa mona ; si vero sorores nona, illa vespera, usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

CAPUT LXX.

De gravioribus culpis.

Si qua autem soror gravioris culpe noxa tenetur, suspendatur a mensa simul et ab oratorio ; et nulla ei soror in ullo conjugatur consortio, neque in colloquio ; sola sit ad opus sibi injunctum persistens in penitentiae luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis : *Traditum huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvis sit in diem Domini* (*I Cor. v.*). Cibi autem perceptionem sola percipiat, mensura vel hora qua prædixerit abbatessa ei competere ; neque a quaquam benedicatur trans-eunte, nec cibus qui ei datur

CAPUT LXXI.

De his quæ junguntur sine jussione excommunicatis.

Si qua soror præsumpsit sine jussione abbatissæ sorori excommunicata quolibet modo se jungere, aut loqui cum ea, vel mandatum ei dirigere, similem sortitur excommunicationis vindictam.

CAPUT LXXII.

Qualis debet esse sollicitudo circa excommunicatas.

Omnem sollicititudinem et curam gerat mater circa delinquentes sorores, quia non est opus sanis medicus, sed male habentibus (*Math. ix.*) ; et ideo ut debet omni modo ut sapiens medicus, immittere quasi occultas consolatrices, id est, seniores et sapientiores sorores, quæ quasi secrete consolentur sororem fluctuantem, et provocent illam ad humilitatem et satisfactionem, et consolentur eam, ne abundantiore tristitia absorbeatur, sed, sicut ait Apostolus, consummatur in ea charitas (*II Cor. ii.*), et oretur pro ea ab omnibus.

CAPUT LXXIII.

De his quæ saepius correctæ non emendaverint.

Si qua soror pro qualibet culpa frequenter correpla, si etiam excommunicata non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, ut verberum in eam vindicta procedat. Quæ si nec ita correxerit, aut forte, quod absit, insuperbiam elata etiam defendere voluerit opera sua, tunc maler faciens ut sapiens medicus, si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamenta Scripturarum divinarum, si ad ultimum ultiōem excommunicationis, vel plagas virgarum, etiam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat etiam quod majus est, suam et omnium sororum orationem pro ea, ut Dominus, qui omnia potens est, operetur salutem circa infirmam sororem. Quæ si nec isto modo sanata fuerit, tunc jam utatur ferro abscissionis, ut ait Apostolus : *Ausestre malum ex nobis ipsis* (*I Cor. v.*). Et iterum : *In-fidelis si discedit, discedas* (*Ibid. vii.*), ut ne una ovis morbida totum gregem contaminet. Aut laudiu-

A in cella retrudatur, quoque bona voluntas illius cognoscatur.

CAPUT LXXIV.

Ut non præsumat altera aliam defendere.

Caveatur omnino, ne qualibet occasione præsumat altera aliam defendere sororem in monasterio, aut quasi tueri, etiam si qualibet consanguinitatis propinquitate jungatur; nec quolibet modo id a sororibus præsumatur, quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si qua haec transgressa fuerit, tribus suppositionibus poeniteat.

CAPUT LXXV.

De ordine quo psallere debeant.

B De synaxi, id est, de cursu psalmorum et orationis modo canonico juxta normam regulæ nostræ, quedam in breve sunt distinguenda. Ab octavo Kalendis Octobris crescit cursus usque ad summum ejus viginti quinque choris : quas tota hieme, que a Kalendis Novembribus incipit, et finit in Kalendis Februario, cantandas in nocturnis vigiliis per noctem Sabbati et Dominicæ Patres nostri sanxerunt. Duodecim vero choræ in hieme omni nocte cantandæ sunt, usque ad octavo Kalendas Aprilis, et post hiemem quindecim choræ in sacris martyrum vigiliis. Et sicut crescit, ita etiam decrescit quinque choris : quæ in primo Sabbato quinque choræ augendæ sunt, ut sint viginti, per alium autem Sabbatum una chora augenda est usque ad Kalendas Novembribus, usque totus cursus compleatur, id est, viginti quoque choræ psalmorum, qui per tres menses hiemis, numerus complenus est in duabus supradictis noctibus, et post hos decrescit per Sabbathum. Primo Sabbatho quinque choræ, et singula per alterna Sabbata, quia longius spatum est ad finem hiemis, usque ad æquinoctium veris, in cursu decreasendo, quam crescendo, ideo per alterna Sabbata singulæ decadunt choræ, usque octavo Kalendas Aprilis. Duodecim namque choræ tempore æstatis in sanctarum noctium cursu, id est, Sabbathi et Dominicæ, cantandæ sunt. Octo vero semper reliquis noctibus de æquinoctio veris in æquinoctium cantandæ sunt, id est, per sex menses. De æquinoctio veris in æquinoctium autumni, viginti quatuor psalmi canendi sunt. In omni loco et opere silentii regula magnopere custodiare censetur, ut omni, quantum valuerit humana fragilitas, quæ ad vitia præcipitare solet cursu oris, mundemur vitio, ædificationemque potius proximorum, sive proximaram, pro quibus salvator noster Jesus Christus sanctum effudit sanguinem, quam dilacerationem absentium in pectore conceptam, et quam otiosa passim verba ore promamus, de quibus justo sumus retributuri rationem reddituri.

CAPUT LXXVI.

Quibus horis reficiant sorores.

A sancto Pascha usque ad Pentecosten ad sextam reficiant sorores, et ad seram cœnent. A Pentecosta autem tota æstate, si labores manuum graves non fuerint, aut nimis servos æstatim non perturbat, quartæ et sexæ feria jejunent, usque ad horam nonam ; re-

Illi quis diebus ad sextam prandeant, qua mensura A prandii in abbatisse sit providentia et arbitrio, et sic omnia temperet atque disponat, qualiter animæ salventur, et quod faciunt sorores, absque ulla murmurazione faciant. A Kalendis autem Februarii usque ad Kalend. Novemb. secunda, quarta, sexta jejunandum est. A Kalendis autem Novembris usque ad Natalem Domini, exceptis festivitatibus, omnibus diebus jejunare oportet. A sancta vero Epiphania usque ad caput Quadragesimæ, quarta et sexta feria jejunandum est. A Quadragesima vero usque in sanctum Pascha ad vesperum relinquent. Ipsa autem vespera sic agatur, ut lumine lucernæ non indigeant religientes, sed luce adhuc diei omnia consummentur.

CAPUT LXXVII.

De electione abbatis.

Quoties sancta abbatissa ad Deum migraverit, nulla ex vobis carnali affectu, aut pro natalibus, aut pro facultatibus, aut pro parentela aliquam minus efficacem fieri velit; sed omnes, inspirante Deo, unanimiter aceram ac spiritualem eligit, quæ et regulam monasterii possit efficaciter custodire, et supervenientibus responsum cum ædificatione et compunctione, et

A com sancto affectu sapienter valeat reddere. Ut omnes homines, qui vos cu[m] grandi fiducia pro sua ædificatione expetunt, Deum uberior benedicant, et de vestra electione, et de illius quam elegistis conversatione spiritualiter gratulentur. Illud etiam, quod non credo, nec Deus pro sua misericordia fieri patiatur, si quoquaque tempore quælibet abbatissa de hujus regule institutione aliquid immutare aut relaxare tentaverit, vel pro parentela, vel pro qualibet conditione subjectionem vel familiaritatem pontificis hujus civitatis habere voluerit, Deo vobis inspirante ex nostro permesso in hac parte cum reverentia et gravitate resistere, et hoc fieri nulla ratione permittere. Te vero sanctam ac venerabilem monasterii matrem, et te præpositam sacre congregationis coram Deo et angelis ejus admonemus et contestamur, ut nullius unquam vel minæ, vel oblocutiones, et blandimenta moliant animam vestram, et aliquid de sanctæ ac spiritualis regulæ institutione minuatis. Credo tamen de Dei misericordia, quod non pro aliqua negligentia reatum incurrire, sed pro sancta et Deo placita obedientia ad æternam beatitudinem possitis feliciter pervenire. Amen.

ANNO DOMINI DCL.

SANCTUS LANDERICUS,

PARISIENSIS EPISCOPUS.

NOTITIA HISTORICA.

(Ex *Gallia Christiana*, tom. VII.)

Landericus Parisiensis episcopus consensit et **C**omen apposuit suum cum aliis episcopis privilegio libertatis et immunitatis a Clodovæ II rege concessæ monasterio sancti Dionysii x Kalend. Juli anno 16 regni sui (*Hist. eccles. Paris.* t. I, pag. 188). Quin et ipsum aliud eidem cenobio anno precedentem contulisse eadem de re privilegium probare videntur bullæ Stephani II papæ data Fulrado abbati sancti Dionysii x Kal. Martii 757, et charta Hilduini abbatis nono seculo de partitioue bonorum hujuscem monasterii, licet vulgatum pro falso, sin minus interpolato a plerisque reputetur (*Sæc. iii Bened.*, part. II, pag. 336; *Hist. eccles. Paris.*, tom. I, pag. 180). Et certe in concilio Pistensi habito anno 862, Ludovicus sancti Dionysii abbas privilegium a Landerico Parisiensi episcopo suo monasterio jampridem concessum obtulit confirmandum, cui subscriperunt episcopi, inter quos *Aeneas* Parisiaca urbis episcopus privilegium domini Landerici antecessoris sui omnino æquitatis tramite servare approbans corroboravit (*Spicileg. I. VI*, pag. 378). Landerici Parisiensis episcopi meminit *Chronicon sancti Maxentii* apud *Labbæum* tomo II Bibliothec., pag. 192: « Clodovæ filii Dagoberti temporibus extitit Ansoaldus Pict. Audouenus, Landericus Parisiace presul, » etc. Meminerunt

D et diversa *Ilagiologia*, pervetusta recensque edita *Breviaria*, de quibus vide *Bollandistas*, tomo I Junii, pag. 292. Inde mirum a nonnullis, inter quos *Vale-* *sus*, neminem *Audobertum* inter et *Chrodoberum* *Parisiensem* episcopum recenserit, qui volunt apud autores, qui temporibus *Dagoberti*, *Clodovæ II* et *Clotarii III*, scripserunt, vel in conciliis quæ habita sunt, nullum reperiri *Landericum* *Parisiensem* episcopum; illum vero, cui *Marculfus* suas formulas nuncupat, posse esse alterum *Meldensem*, de quo *Molanus* in *indiculo sanctorum Belgii*. At præter quam quod illius meminerunt tabularia *Parisiensis Ecclesiæ*, et antiqui ejus episcoporum indices, *Marculfus* sub *Clodovæ II* suas edidit formulas anno circiter 654, quo tempore *Faro Meldis* sedebat; nec ullus tunc *Landericus* in tabulariis ecclesiarum præter *Parisiensem* ascriptus est, ut optime in prefatione demonstrat vir clarissimus *Hieronymus Bignon* senatus *Parisiensis* ornamenti, qui *Marculfi* formulas primus luce donavit anno 1613, quas edidit postea *Baluzius* inter *Capitularia*, tomo II. Ferunt et a *Landerico* primum ad limina matris ecclesiæ exstructum dotaliumque celebre illu nosocomium, quod vulgo domus Dei appellatur. Celebratur quidem maxime ob incredibilem suam erga pauperes charitatem,